

## ALCHEMIÆ LIB. I.

### CAPVT II.

#### De partibus Alchemiæ.

**A**lchemiæ partes sunt duæ: Encheria, & Chymia.

Encheria est prima pars Alchemiæ, de operationum modis.

Itaque hæc pars generaliter species operationum describit, quæ postea singulis magisterijs & essentijs elaborandis accommodantur. Et quia manus industria hîc plurimum valet; etiam nomen inde sortita est, vt *εργείων*, quasi manus artificiosè admouendæ descriptionem nomines, dicatur, cum tamen non solius sit manus, sed omnium sensuum solerriam attentionemque & ingenij acumen requirat singulare.

Inseruiunt Encheriæ, Ergalia, & Pyronomia, quarum tanta est in Alchemiæ exercitio necessitas, vt is demum artifex absolutus censeatur, qui earum notitiam & vsum habet perfectum. Debetur enim operationibus singulis, quin & ferè vnus eiusdemq; diuersis interuallis, suum instrumentum & ignis, vt sine illis nihil possit laudabiliter & accuratè fieri.

### CAPVT III.

#### De Ergalia, & primum de lutandis & obstruendis vasis.

**E**rgalia est instrumentorum alchemicorum explicatio.

Ad quam cum duo pertineant, noticia, & vsum: fundamentum huius est illa. Qui enim instrumenta chymica benè cognouit, & non tantum simplicia inspexit, sed & ea componere ad operationes certas didicit: in vtendi rationem vnà ducitur, quam tamen perfectè exponit ipsa Encheria.

Instrumenta sunt duplicia, vasa & suppellex tumultuaria.

Vasa sunt instrumenta capiendis rebus idonea. Itaque & capacitatem habent in se, & sua orificia.

Vasa quæ ignibus validis admouentur, luto incrustari solent quod sapientiæ vocant, idq; tenuius, crassius pro ignis & in eo durationis modo. Obstruuntur & orificia eorum, & præsertim exactissimè si nil respirare volumus, quod item fit si in opere rimas egerint leuiiores.

Armantur autem etiam luto aduersus alias iniurias, ne facilè collidantur, aut à frigido aere dissiliant.

Modus luti inducendi est, vt qua parte ab igni vas est remotius, tenuius illinatur, quâ propius, vt circa fundum, præsertim quod continere debet materiam ponderosam, & validam flammam concipientem, crassius. Quod si duplo triplove luto muniendum sit, prius benè siccatum sit, antequam inducatur nouum. Aequaliter incrustantur, quæ res spirituosas, aut etiam alias æqualiter in opere se habentes, continent.

Tam